Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Schmuckinitiale

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

de falsitate scripturarum. ecclesiis eius diu
tius insultarent. Explicit prologus. In
cipit liber ysaie.
VISIO ysaie
filii amos.
quam vidit super
iudam et ie
rusalem in diebus
ozie ioatham
achaz et eze
chie regum iuda. Audite celi et auri
bus percipe terra quoniam dominus locutus est. Filios
enutrivi et exaltavi ipsi autem spreverunt
me. Cognovit bos possessorem suum et
asinus presepe domini sui. israel autem non cogno
vit me. et populus meus non intellexit. Ve gen
ti peccatrici populo gravi iniquitate semi
ni nequam. filiis sceleratis. Dereliquerunt
dominum. blasphemaverunt sanctum israel. ab
alienati sunt retrorsum. Super quo
percutiam vos ultra addentes preva
ricationem. Omne caput languidum
et omne cor merens. a planta pedis
usque ad verticem non est in eo sanitas. Vul
nus et livor et plaga tumens. non est
circumligata nec curata medicamine
neque fota oleo. Terra vestra deserta ci
vitates vestre succense igni. Regionem
vestram coram vobis alieni devorant. et de
solabitur sicut in vastitate hostili. Et dere
linquetur filia syon sicut umbraculum in vi
nea. et sicut tugurium in cucumerario.
sicut vinea que vastatur
Nisi dominus exercituum reliquisset nobis semen
quasi sodoma fuissemus. et quasi gomorra
similes essemus. Audite verbum domini
principes sodomorum. percipite auribus le
gem dei nostri populus gomorre. Quo mihi mul
titudinem victimarum vestrarum dicit dominus.
Plenus sum holocausta arietum et adipem

pinguium. et sanguinem vitulorum et agno
rum et hyrcorum nolui. Cum veneritis ante
conspectum meum. quis quesivit hec de manibus
vestris. ut ambularetis in atriis meis.
Ne offeratis ultra sacrificium frustra.
incensum abhominatio est mihi. Neome
niam et sabbatum et festivitates a
lias non feram. iniqui sunt cetus vestri.
Kalendas vestras et sollempnitates
vestras odivit anima mea. facta sunt michi mo
lesta. laboravi sustinens. Et cum exten
deritis manus vestras. avertam oculos me
os a vobis. et cum multiplicaveritis orationem
non exaudiam. manus enim vestre sanguine
plene sunt. Lavamini mundi estote. au
ferte malum cogitationum vestrarum ab
oculis meis. Quiescite agere perverse. disci
te benefacere. Querite iudicium. subvenite
oppresso. iudicate pupillo. defendite
viduam. et venite et arguite me dicit
dominus. Si fuerint peccata vestra ut coccinum.
quasi nix dealbabuntur. et si fuerint rubra
quasi vermiculus. velut lana alba erunt.
Si volueritis et audieritis me. bona terre co
medetis. Quod si nolueritis et me provo
caveritis ad iracundiam. gladius de
vorabit vos. quia os domini locutum est.
Quomodo facta est meretrix civitas fidelis
plena iudicii. Iustitia habitavit in
ea. nunc autem homicide. Argentum
tuum versum est in scoriam. vinum tuum
mixtum est aqua. Principes tui infideles
socii furum. Omnes diligunt munera.
secuntur retributiones. Pupillo non
iudicant. et causa vidue non ingreditur ad
eos. Propter hoc ait dominus exercituum fortis israel.
Heu consolabor super hostibus meis. et vin
dicabor de inimicis meis. Et convertam
manum meam ad te. et excoquam ad puri